5 Stevenson (9)

Doctor Walker.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIABETE.

* Edinburg

DIVERSE

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIABETE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI auctoritate et conſenſu,

Ac Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

Pro GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS STEVENSON,
HIBERNUS.

Ad diem 10 Auguſti, hora locoque ſolitis.

Dum relego, ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice, digna lini.

OVID.

SURGEON GEN'LS OFFICE
LIBRARY.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCLXII.

PATRI SUO.

TIBI, prae aliis, care Pater, ut hocce opuſculum inaugurale, primos ſtudiorum conatus, dicarem, nihil incitamenti, nihil officii eſt, quo non ſum devinctus. Neque ob id quod tibi etiam debeo ut exiſtam, utpote naturae mandatis conſtitutum, licet hac ipſa de cauſa, omnium judicio abſolutus forem; ſed quoniam, ob mores humaniſſimi nominis, tu es paucorum hominum, inductus ſum. Nec perinde vereor, quempiam me in eorum culpam incidiſſe dicturum, quibus, nullo diſcrimine ac pleno ore mos eſt laudandi: Ubi enim nihil mercedis, ad ſpes

effica-

efficaciſſime elevandas, praeſto eſt, nihil forſan adeſſe poteſt blanditiarum. Propterea quod vero, temporum moribus venit, ut laudatio, praeſertim conſanguineo ex ore, quomodocunque digna, ſpeciem aſſentationis prae ſe ferat; huic ſtudio, quam par eſt tenuiori, pietatis officium conſequendi, finem, tuae voluntati nimirum obſequens, impono. Vale.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

DIABETE.

CUM universus mundus conditus in conspectum venit, vel id immensum scilicet vacuum, cujus fundus explorari nequit, in quo celeritate mirabili circulos suosque cursus planetae conficiunt, illico summam supremi Opificis majestatem, non sine oblectamento mirabundi veneramur; ob benignitatis indicia, consiliique vestigia in eo nimirum mirabiliter exhibita. Perinde etiam, quandocunque constitutionem rerum sapientissimam rite perpendamus, cum magnitudine, diversitate, variis multiplicibusque earum vicissitudinibus, omnia statim admiratione dignissima nostras quasi obruunt facultates.

Non, veruntamen, in magnis solum, sed in parvis similiter agendi ratio summi conditoris admiranda enitet. Rerum nostro in orbe administratio; origo regnorum et casus; tempestatum permutationes, constanter ac mirifice progredientes, nec non et diei noctisque consecutio; animalium varietas adeo infinita, tam aquatilium, quam terrestrium, ut

nemo adhuc recenſere potuerit ; ſi etiam ſilentio regnum vegetabile ac metallicum, in quo non ſolum ad vitam accommodate perfruendam, ſed item ad hominum delicias quod attinet, alma natura ſuppeditaverit, praeterirem: Ex his omnibus denique manifeſtiſſime apparet, maxima animi pertinaciâ haud obſtante, et cui quidquam penſi unquam fuiſſet, mundum, a Deo primitus creatum, ſemper ejus poteſtate pariter eſſe conſervatum, ac mente feliciſſime gubernatum.

Enimvero autem, longe prae caeteris, corpora animalium intellectûs veſtigia maxime indicant ; praecipue corpus humanum, in quo invenimus, quod communi adagio dici ſolet, *multum in parvo*, et mundum quaſi minuta formâ pictum.

Homini percurioſo, in rerum conditarum inveſtigatione, ſive in arte corpora humana ſecandi perito, affatim apparet, nihil tam ſumma cura confectum, quoad omnes quaſcunque partes, deprehendi poſſe. Non eſt in verbis, etiam diſſertiſſimis, non porro in tabulis anatomicis, quomodocunque accuratis, quantum in eo peritiae et machinationis, quantum nexûs et uſûs, depingere. Et deinceps, ſi ab his interne perpenſis, nos oculos ad externam ejus formam, adeo egregie conſtructam, advertimus, vix efficere quimus, illico corporis majeſtatem, ſtatûs ſimiliter concinnitatem pulchritudinemque

que vultûs, ad ſidera admodum erecti, non admirare: Adeo ut, haud res tam miranda fuiſſet, ſi populi feroces, quos hiſtoria ſolis effingit cultores, inter ſe aliquem, formoſitate vel ſtaturae granditate maxime praeclarum, ſole poſthabito, adoraverint. Praeterea, haud dubitandum eſt, quin homo auguſtum id nomen, quo filius Deorum nuncupatur, adeptus erat, non minus ob egregiam corporis formam, ac ſpeciem oris, quam mentis etiam facultates adeo eximias.

NIHILOMINUS vero, cum corpus humanum, adeo fabre, venuſteque formatum, aſpicimus, utpote in eo numen nihil emendandum reliquit, fieri nequit quin quiſpiam alte revolvens animi moerore admodum afficiatur, non immortale eſſe, at potius moriendum, et in ruinam, heu! juxta ac viliſſima rerum, incidendum. Sed etiamſi, nil non mortale habemus, et defloreſcit formae dignitas morbo, nihilo ſecius tamen, illa pars hominum primigena, qua ad coelicolas ſimilitudine accedimus, ad EUM, a quo primo demigraverit, utpote ſpirituum eſt quaſi magnus univerſuſque Parens, confidenter denuo revertitur.

AT nonnulli forſan, nos in opus alienum ire notatum habeant, et inſuper, quod potius moralium aliquem philoſophorum, quam medicinae candidatum, de talibus diſſerere decet. Fateor; et quantumlibet hoc nobis vitio verterint, boni tamen conſulimus,

nemo adhuc recenſere potuerit ; ſi etiam ſilentio regnum vegetabile ac metallicum, in quo non ſolum ad vitam accommodate perfruendam, ſed item ad hominum delicias quod attinet, alma natura ſuppeditaverit, praeterirem: Ex his omnibus denique manifeſtiſſime apparet, maxima animi pertinaciâ haud obſtante, et cui quidquam penſi unquam fuiſſet, mundum, a Deo primitus creatum, ſemper ejus poteſtate pariter eſſe conſervatum, ac mente feliciſſime gubernatum.

Enimvero autem, longe prae caeteris, corpora animalium intellectûs veſtigia maxime indicant ; praecipue corpus humanum, in quo invenimus, quod communi adagio dici ſolet, *multum in parvo*, et mundum quaſi minuta formâ pictum.

Homini percurioſo, in rerum conditarum inveſtigatione, ſive in arte corpora humana ſecandi perito, affatim apparet, nihil tam ſumma cura confectum, quoad omnes quaſcunque partes, deprehendi poſſe. Non eſt in verbis, etiam diſſertiſſimis, non porro in tabulis anatomicis, quomodocunque accuratis, quantum in eo peritiae et machinationis, quantum nexûs et uſûs, depingere. Et deinceps, ſi ab his interne perpenſis, nos oculos ad externam ejus formam, adeo egregie conſtructam, advertimus, vix efficere quimus, illico corporis majeſtatem, ſtatûs ſimiliter concinnitatem pulchritudinemque

que vultûs, ad ſidera admodum erecti, non admirare: Adeo ut, haud res tam miranda fuiſſet, ſi populi feroces, quos hiſtoria ſolis effingit cultores, inter ſe aliquem, formoſitate vel ſtaturae granditate maxime praeclarum, ſole poſthabito, adoraverint. Praeterea, haud dubitandum eſt, quin homo auguſtum id nomen, quo filius Deorum nuncupatur, adeptus erat, non minus ob egregiam corporis formam, ac ſpeciem oris, quam mentis etiam facultates adeo eximias.

NIHILOMINUS vero, cum corpus humanum, adeo fabre, venuſteque formatum, aſpicimus, utpote in eo numen nihil emendandum reliquit, fieri nequit quin quiſpiam alte revolvens animi moerore admodum afficiatur, non immortale eſſe, at potius moriendum, et in ruinam, heu! juxta ac viliſſima rerum, incidendum. Sed etiamſi, nil non mortale habemus, et defloreſcit formae dignitas morbo, nihilo ſecius tamen, illa pars hominum primigena, qua ad coelicolas ſimilitudine accedimus, ad EUM, a quo primo demigraverit, utpote ſpirituum eſt quaſi magnus univerſuſque Parens, confidenter denuo revertitur.

AT nonnulli forſan, nos in opus alienum ire notatum habeant, et inſuper, quod potius moralium aliquem philoſophorum, quam medicinae candidatum, de talibus diſſerere decet. Fateor; et quantumlibet hoc nobis vitio verterint, boni tamen conſulimus,

ea ſcilicet lege, ut nihil gravius in nos dicant: Eodem vero tempore, haud nobis exploratum eſt, quin inter rem medicam et ethicam, haud parva ſit convenientia: Praeterea, ſi in rebus hujuſmodi quid nobis judicandi juris eſt, opinio noſtra fert, quod medicum, in ſtudiis propriis non duntaxat bene eruditum, ſed ob omnes etiam probos mores, laude imprimis dignum eſſe oportet. —— Sed ad proprium opus nunc accingi decet.

Hoc argumentum, in quo de Diabete perpauca dicere mihi conſtitutum eſt, prae aliis, ſecundum almae hujus Academiae leges, non quod in eo, ad aliquid novi excutiendum, accinctus ſum, ſed potius quia, eorum hactenus perraro apud condiſcipulos tractatorum, id ſolum ſuperfuit, ſelegi. Longe aliter quidem res ſe habet; ſi vero a mea voluntate pependerit (non adeo infeliciter ſcribendi pruritu titillor) omnino ſiluerim: Pro certo enim habeo, quod olim hancce adeo rudem indigeſtamque diſſertatiunculam, ſcripſiſſe pudebit. Sed durum telum neceſſitas: Nobis, ſi Academiae inſtitutis obtemperare volumus, obligatio eſt, utcunque munificentiâ naturae imparibus, quaſi auctores inchoare. Porro, quoniam in hac re, nobis quod conditio proponitur, minime inducti ſumus, magis vero quadam vi coacti; in nos ſane haud culpa inferri oportet, ſi forte parum accurati noſtri conatus evadant.

QUANDO

QUANDO enim quis, nemine impellente, auctor fit, omnes non immerito illi vitio dabunt, si in magna ac frequentia errata labi contigerit. Sed longe secus est equidem, quando alieno nutu, non suopte arbitrio, ad scribendum sese aegre dat. Cum itaque ex dictis excusationem adversus studiorum socios quodammodo habui; nunc pro nobismet, operis impoliti ratione, id quod admodum decet, venia petenda est.

PRIUSQUAM vero longius progrediar, non a proposito alienum foret, de natura partium et situ, in quibus praecipue hoc malum originem habet, haud equidem cum minutissima anatomici operis elegantia, quod haud ab in rebus medicis parum erudito expectandum, sed ita solum ut morbus confestim tractandus, magis dilucide quadantenus appareat, aliquantulum dicere.

CAPUT I.

BREVIS RENUM DESCRIPTIO.

RENES, qui a Ῥεῖν nomen habere videntur, quia in pelvim urina quasi semper fluit, in regione lumborum situm tenent, unus hepar infra, in dextro latere, alter paulo superior, in sinistro, infra lienem.

nem. Ope emulgentium, ad cavam et aortam ligari, dum ureteres ad veſicam eos fortiter connectere ſolent. Ren dexter numquam non ad inteſtinum caecum, et interdum ad hepar; ſiniſter ad colon et ſubinde ad lienem, vincitur. Longitudine ſunt ad quatuor vel quinque digitos, latitudine tres, craſſitudine duos; ſed unum altero majorem eſſe haud raro contingit. Eorum figura, non valde phaſeolo abſimilis, in una parte concava, in altera convexa eſt. In foetibus ſubſtantia renum multis in lobis diſcretis, inter ſe molliter conjunctis, dividi ſolet; exinde vero alius alium concinnate quodammodo appropinquat, ita ut, in adultis, colore puniceo ſuperaddito, ſuperficiem omnino laevigatam et equalem habere videntur. Duae membranae eos involvunt, una peritonaea proficiſcens, altera, quae illis propria eſt, et multo fere pinguedinis cooperta, quanquam nihil ex eo in parte interiore reperitur, unde verbum omnium ore tritum, renes atque avaros eſſe in medio adepis valde macilentos. Ab aorta arteriis, nervis ab intercoſtalibus et ſtomachicis; unde vomitiones in nephritico dolore violentes, ſuppeditantur: Eorum venae in cavam, et lymphatica in PECQUETTI receptaculum, defluere ſolent. Omnia haec vaſa ſub emulgentium nomine, concavo latere, renes perforant, et per totam materiem ſe in quam plures ramos dividunt; deinde in minores et frequentiores, donec ad exigua

innu-

innumerabiliaque capillamenta, adeo ut gradus eorum minimus, ab oculis etiam acutiſſimis, vix, ac ne vix quidem, deprehendi poteſt, tandem evadunt. Haec omnia quoque, fere evaneſcentia, ad externam ſuperficiem renum progredientia et ibi inter ſe mutuo inoſculentia, rete quodammodo formant; unde redeuntia, extremitates eorum in folliculos infinitos terminare ſolent. Sanguis itaque, quem e corde arteriae evehant, propterea quod per hos tubos tam parvulos permeare nequit, venarum ramis emulgentium aſſumitur, poſtquam partes ejus fluidiores, et ad urinam ſuppeditandam aptae, ſatis percolantur; et in venam cavam deinde effunditur. Hae glandulae, in circulum flexae, externam renum ſubſtantiam componere videntur, quarum quaeque tenuem ſemper tubulum mittit, ad internam etiam ſimul conficiendam.

Pelvis, in medio renum, dilatatione ureterum formata, cavitas eſt, cujus uſus in eo conſiſtit, quod urinam e papillis aperientibus circumcirca diſtillantem, recipiunt, quae fiſtularum uriniferarum ſunt, in faſciculos parvulos congeſtae, extremitates.

Renum praeterea officium in eo omnino verſatur, quod e maſſa ſanguinea, partes ejus ſub urinae nomine fluidiores, cui nulla alibi data porta eſt, ſubmovent; et hoc non modo per fabricam eorum admirabilem, nec non et vim cordis vicini impel-

lentem,

lentem, sed ope etiam musculorum lumborum atque respirationis.

ARTERIAE renales ab aorta sanguinem, cum urinae particulis mixtum, accipiunt: Deinde humor semotus in ramusculos laterales praeterlabitur; tunc ad tubulos BELLINI, per tortilem perplexumque cursum, defluens, in pelvim, perinde atque in receptaculum commune, cadit gradatim, vel potius, per multa exiguaque ora patula, assidue guttatim distillat; inde constanter ureteribus ad vesicam evehitur, ubi tandem, pro occasione et tempore, moratur, donec per urethram postremo egressum habet.

CAPUT II.

OBSERVATIONES IN GENERE DE DIABETE.

DIABETES est vocabulum apud Graecos usitatum, sic dictus ἀπὸ τῦ διαβαίνειν, id est a permeando, ob velocitatem qua urinae transitus seu traductio fit, eodem modo quo per syphonem aqua traducitur, cui nomen διαβήτην mechanici dant *. Idem affectus δίψαχος, a siti insuperabili, interdum vocatur,

* Nic. Pisonis de Morb. cogn. et cur. lib. 3. de Diabete.

vocatur, interdum ὑδρωψ εἰς ἀμίδα, ſive aqua intercus ad matellam, et aliquando διαῤῥοια εἰς ουρα, quo intelligitur urinae fluxus, propter ingentem iſtius evacuationis copiam: Pro diverſitate verum qua huncce morbum recenſere ſolent, ita nomina ejus variant auctores. Sed apud Latinos nullum peculiare nomen ſortitus eſt, quare urinae fluor ſolum appellabatur.

Inter hos, quorum impetui genus humanum rariſſime ſubjicitur, morbus iſte, de quo nunc agere fert animus, principio in conſpectum venit. De hac re omnes fere auctores, quibus probe res medicas excolendi copia fuit, uno ore conſentire videntur. Olim notavit Galenus, bis tantum in praxi ſibi occuriſſe *. Apud Lommium, praeterea, haec verba habemus, "Nobis per omnem vi-"tam non niſi ſemel apud Nervios, quum illic me-"dicinae artem exerceremus, obſervatum fuit †." Idem vitium rariſſimum eſſe, etiam opinio fuit paulo ante Boerhaaviana, cui eximio quidem viro, niſi in uno juvene, quam maxime ſtudioſo, et ad abacum quaſi agglutinato, nunquam obvenit. Huic adoleſcenti, ut omnino ad dormiendum abacta foret propenſitas, hauſtus ex theae coffeeque infuſione uberrimos, haud equidem eligendus fuit bibendi mos; quo parum caute uſitato advenit, ut

* Locis affect. lib. 6. cap. 3. Charter.

† Med. Obſer. lib. 3. de Diabete.

non longo poſt tempore, hoc improviſo extinctus malo, poenas luerit. De eodem magnus ille vir obſervatum reliquit, Diabete immedicabili, ac conſumptione eam perceleri nimirum pede ſequente, laborantem, larvae nudis oſſibus cohaerentis ſpeciem miſerrime extitiſſe, et tandem, ſiti inexplebili oppreſſum, e vita diſceſſiſſe*.

POSTQUAM ſcriptores nonnulli aquoſos tepidoſque liquores, praecipue ex thea coffeeque diluta, adeo laudatos habuere, hic morbus, olim tam infrequens, ſaepius medico hodierno in praxi verſato, ſeſe obtulit. Diluta enim hujuſmodi, urinam cientia, duobus modis injuriam facere ſolent, ſanguinem ſcilicet plus ſatis diluendo, ac totum vaſorum ſyſtema ſolidorumque compages relaxando. In tali rerum ſtatu quidem nulla ſanationis ſpes ſupereſſe videtur, niſi a diaeta ſicca, ſatis lauta, et aliquantulum ſolida; ab omnibus aquoſis quibuſlibet abſtinentia; libera perſpiratione renovata, cum exercitio corporis manſueto, cutiſque fricatione omnibus horis conjunctis. Sed hoc in tranſitu leviter attingimus.

QUANQUAM ad Diabetem efficiendam, ut prius obiter notatum, harum herbarum, vel quorumcunque diluentium plus aequo calidorum, per longum temporis ſpatium, abuſum, ſubinde ſatis valere conceſſu omnium datur; nihilominus vero, quaeque

per

* Inſtit. Med. § 824.

per vias urinarias emiſſio, plus nimio aucta, quod ſaepe poſt hauſtam magna quantitate aquam, nomine *Spaam*, evenire ſolet, nulla ratione Diabetes aeſtimari debet; nam veteres quidem, quod literis extat, conſuetos fuiſſe, eam ſub hac appellatione plerumque depingere, quam urina coloris quaſi lacteoli ac ſpiſſitudinis aſſociari obſervaverunt, haud vero abſimile videtur: Illa ſpecies certe, cauſa efficiente ablata, tantum pro tempore manet; haec vero ſemper inveterare, et perdificile quidem, medelae auſcultare cenſetur. Sed objiciendum hic forte erit, ſi illum, de quo ſermo eſt, humorem fabrica renibus propria ſeparatum, nunquam non fluidiſſimum oportet eſſe, quomodo fit, ut noxam plerumque ſecum ferre valet iſte herbarum ſupra memoratarum uſus, quae tantum poſt infuſionem fluiditatis habere obſervantur, quantum per vaſa renum minutiſſima, ad libere permeandum poſtulatur? unde itaque fit cauſa mali, ſub quo tanta humorum mutatio, et corporis labefactatio contingere videtur? Non certe a viſceribus urinam ſecernentibus ſpeciatim affectis, ſed potius quod tota temperies, vel ſyſtema, tam in fluidorum, quam in ſolidorum partibus, omnino remiſſum ac infirmatum a ſanitate integra devenit: Quo per analogiam fit, humores univerſe depravatos, ſeu in diſtributione quam maxime turbatos, omnibus ſimiliter vaſis eorum vi contractili muſculari orbatis, neceſ-

ſario evadere. Eodem modo quoque, ad corpus ſuſtinendum, et ejus varias partes nutriendas, ſanguis, ea qua gaudet ſanitas conſiſtentia omnino in diſſolutionem abeunte, ſimul et ſemel inutilis fit; praeterea autem, ſingula viſcera, et organa praecipue ſecretoria, virtutem ac tonum elaſticum amittere, inde neceſſe eſt; et hinc denique, omnes, quicunque ſunt, humores per emunctorium plus in uſu ſecernendi occupatum, quales ſunt viae urinariae, nimirum e corpore labuntur; adeo ut, non longo poſt tempore, nihil fere praeter oſſa cutemque ſupereſſe videtur.

Effatum apud medicos notum eſt, quodque vas, aequalibus vi premente gradibus, ſemper amplificari; quando noſtra idcirco vaſa, nimia quantitate, humores tranſmittant, eorum cavitas, ratione habita, dilatari debet; et quando res ſic ſe habet, conſequitur, in ea vaſa diſtenta, liquores, haudquaquam aliter amplitudini eorum conſentaneos, effluere; unde, ea in parte ſpeciem quandam, omnino a natura aberrantem, (quod phaenomenon abnorme nomen morbi ſortitur) decedentis locum occupaturam, ſatis conſtat. Hoc vero a ſequentibus magis forte in lucem deveniet.

Omnia in corpore humano, a minimis aduſque maxima, quodam progreſſu conſtituto, procedere ſolent vaſa: Hinc tota ſolidorum fluidorumque temperies in aequilibrio conſervatur, ſive ea corporis

poris conditio, quae ad valetudinem optime attinet, naſcitur: Quo itaque magis ab ea diſtributione aequali decedunt, eo magis a ſtatu valente corpus labefactatum ſubeſſe, patet; unde illa formidabilis malorum cohors, cujus dominio prima ab origine ſubjicitur genus humanum. Reliquum eſt itaque, priuſquam ſententias auctorum varias de noſtro morbo in conſpectum adferamus, nunc, pro ratione virium, qua in re integra corporis temperatura praecipue conſtare cenſetur, operam demus. Sed hoc quidem difficile admodum eſt, et vix unquam inter fines mediocres coërceri poteſt. Aggredior tamen, etſi me coactum iri id quodammodo infectum demittere, perſuaſiſſimum habeo, ſed ut veteri adagio dici ſolet, "Fortuna audaces juvat." Praeterea, in hoc perſequendo, auribus noſtris, de fideliâ eadem nos duos parietes dialbaturos, ſubſervire haud vereor; ſi enim, qua ex origine hic plerumque ſtatus evenire ſolet, vel ad quas, in perennitate ac progreſſu, cauſas referri poteſt, in apertum adducere quimus, ab argumentis certe haud longe diverſis, quo fit, ut haec bona validaque temperies aut laeſa aut omnino everſa contingat, comperietur.

Sanguis, e corde per magnam arteriam egrediens, omnium fluidorum inſigniter compoſitus, per totum corpus diſperſorum, fons quaſi primarius eſt, qui initio, ſub lactei humoris ſpecie, per ductum thoracicum continuo ad venam ſubclaviam aſcendit;

unde

unde ad dextrum cordis ventriculum, ope venae cavae deſcendentis, ubi quodammodo colorem ſibi rubrum aſſumere incipit, vitalis humor advehitur; ibique non diu permanens, in perlongo circuitu circumagitur; per majora primo vaſa defluens, tunc per ea in proximo ſibi gradu decreſcentia, deinde in tertio, quartoque, donec tandem ad exiliſſima perventum eſt. In hujus proceſſu ambitûs, liquores qui ad corporis diverſa officia peragenda, perutiles ſunt, ſaccis accommodis percolantur, vel per propria oſtiola prolabuntur: Qui ad denſitatem magis propenſi, per ramos laterales grandiores; per ramuſculos qui minus; et per eos denique ultimi ordinis, qui ad ſubtiliſſimam accedunt naturam; dum pari modo, particulae excrementitiae, quibus oeconomia laedi poſſit, organis ſecretoriis, ab utilioribus ſegregantur, et corpore foras poſtremo eliminantur. Omnes hae diviſiones, vi in fabrica muſculari cordis verſante, cum ea forſitan virtute, in tunicis vaſorum minimorum quaſi oſcillante, perficiuntur: Haec autem, ad illas efficiendas, etſi recognita in aliis exemplis plurimum valere, minus forte auxilio fore comperietur. Hi fluores, ut rite ſecernantur, et per vaſcula eorum propria libere tranſeant, certa probatione tradere, quod totum ſyſtema vaſculare in ſano ſtatu nunquam non oportet eſſe, haud difficile eſt: Pro ratione enim hujus integrae affectionis,

bona

bona vel prava, apta vel inutilia, ad corporis munera rite explenda, ſemper liquida ſecreta exiſtere inveniuntur.

Fibrarum conſtituentium firmitas, vis quoque coercens, in vaſorum tunicis aſſidue remanens, et denique, omnium actionum in corpore vigor, a proba humorum permeantium natura vel indole ſemper pendere; ſeu ut ſanguis, aliorum theſaurus, quandam ſemper conſiſtentiam vel craſin ſervet, poſtulare videntur: Quo magis ergo, ab hac craſſitie recedat laudata, eo minus ad actiones vaſorum organorumque ſecretoriorum promovendas neceſſario conveniens comperietur: Si denſus, ſeu concretus, magis quam ſemper corporis uſus aut leges ſalutis exigent; dein omnia mala, quorum inire numerum nemo fere poteſt, ab infarctione, vel obſtructione, in quocunque gradu pendentia, ſequi ſolent; ſin minus autem, illa ſimiliter innumerabilia, a debilitate, inanitione ac flacciditate provenientia. Sanitas itaque bene definiri poteſt, aurea inter utraque mediocritas; et morbus itidem, ad unum horum quam ad alterum proclivitas; etſi forſan vix recuſari queat, nonnullos quandoque morbos, ad alterutrum haud jure referendos, medico occurrere. Ex his vero duabus morborum cauſis, poſteriorem pro origine agnoſcit Diabetes, debilitatem ſcilicet nimiam, cum ſuccorum inde acrimonia ſeu tenuitate.

CAPUT

CAPUT III.

HISTORIA DIABETIS HUIC FIDEM FACIENS.

QUAEDAM mihi nota fuit, aliquot ante annis, virgo honeſtiore loco nata, aetate integra adhuc vegeta, cui cum alia, mihi veterata amicitia etiam conjuncta, ex intimis ſuis familiaribus, quando ad pocula ſerotina theae ex conſuetudine convenerunt, certandi erat mos, quaenam hauriendo cyathos altera ſuperare poterat. In hoc vero foeminino admodum certamine, mares aemulari voluerant, apud quos ſemper, quod nemo quidem ignorat, uſu venit, ut omnes, amicula alternis vicibus propoſita, calicem ad ſummum marginem uſque repletum propinent: Non aliter etiam, *ad animi curas depellendas*, ſe gerere ſolitae fuerunt noſtrae virgines, bene ſcilicet ad pocula amaſiunculo inter juvenes delectiſſimo viciſſim dicendo: Et tantum valuit error, alio nomine enim haud adpellare licet, ut ſaepe *bibaces formoſas*, trigeſima uno veſpere altrinſecus pocula exhaurire novi. Quid inde ſequebatur? en! paucis verbis: Temporis progreſſu, una virginum, namque perraro alteram mihi contigit obſervare, honeſtiſſima oris ſpecie, nec non, et genarum colore admodum roſeo, orbata fuit; languor et debilitas inducitur; appetitus

appetitus plurimum diminutus, tabes, lenta quidem pede progrediens, animus quasi moerore affectus, sitis inusitata, aliaque id genus.

Mira admodum res omnibus familiaribus videbatur, tanta mutatio, tantaque infelicitas, absque ulla manifesta, vel etiam ipsi, causa semel suspecta. Diu latuit arcanum, et forsitan in tenebris semper remansisset, nisi forte fortuna, virginis pedisequa omnem ut se habuit rem mihi ambage verborum perquirenti clam renunciaverat. Quo satis compertum habui, dominam ejus, longo ante temporis intervallo, copiam theae tepidae inauditam sane, in usu esse bibendi: Praeterea, more suo, me certiorem fecit, urinae reditum illius quam maxima auctum, adeo ut, sicut illa retulit, saepe hac via etiam lapsuros omnes in corpore humores metuit. His ita cognitis, haud difficile erat malo sic temere inducto obvium ire.

Medela, si non me fallit memoria, in eo omnino constitit, ut a poculis theae dilectissimis religiosissime imprimis abstinueret; deinde, in corroborantium medicamentorum, incrassantiumque omnibus horis perseveraret usu, cum exercitio corporis, modum non superante, quotidie usurpato.

Haud mihi dicendum quid boni ea praescribendi ratio secum adferre valebat; non multo post enim mihi fuit demigrandi causa ex ea in aliam regionem; veruntamen, si a bona valetudine aegrae nostrae caetera mihi concludere licet, ne minime

dubius ſum, haud parvo cum ſucceſſu illam medicamentorum formulam adhibitam fuiſſe.

Hanc veram Diabetis ſpeciem ſatis manifeſtum videtur, mitiſſimi tamen nominis, non ulla humorum acrimonia, ſeu eruptionibus inflammatoriis, quibus nonnunquam hicce affectus ſtipatur, comitati.

Ab hiſtoria jam tradita forte patebit, ſolum a debilitate, vel vaſorum renalium laxitate, ortum ducere Diabetem; omne itaque quod vel hunc, vel illud efficere valet, morbum iſtiuſmodi excitat. Sed a renum ductibus valde amplificatis, humoribus etiam urina denſioribus data porta eſt, unde corpus areſcere et cito tabeſcere incipit.

Propter renum fabricae ſoliditatem, qua nullum aliud viſcus in corpore humano praeditum forte eſt, ſatis conſtare videtur, per fiſtulas eorum arctiſſimas, humorem quam maxime fluidum naturaliter transfluere; unde liquide adparet ratio quare, majore lotio denſitate donatus, per renum canales nullus tranſire valet humor. Ad hoc vero probandum, etſi non opus eſt verbis, explicatu tamen difficillimum forte invenietur, quomodo fit humores urina parum craſſiores, vel magnopere ad fluorem vergentes, non per tubos hoſce uriniferos tranſitum invenire. Hujus poſtremum memorati generis, ſunt ſpiritus praecipue animales, ut nomen habent, quos ad eorum oſcilla in ſanguinis circuitu obla-

tos

tos, nisi a natura lex quaedam constituta obstet, ob subtilissimam indolem, per haec vasa libere transmitti oportet. Hoc forte apud hydraulica quaerendum, vel alibi forte nusquam *. His autem consentaneum est, particulas crassiores, aut magis ad gravitatem devexas, sanguinem conficientes, suopte pondere deorsum tendere; e contrario autem, has densas minus et ponderosas in aortae ramos superiores inclinare. Porro, alia quidem lege hydraulica constitutum est, particulas solidissimas, dum inter alias densitatis minus participantes usquequaque movent, recta semper linea, pro ratione in eas impressi motus antrorsum persistere: Compertum vero est, eam in recta linea directionem versus caput a corde esse; patet itaque, si quid in nostro sermone verisimilitudinis est, sanguinem versus renos descendentem minus spissum, seu ponderosum, et ex minimis particulis, mobilibus, nunquam non compositum debere. Hac viâ quidem, si tali hypothesi indulgere licet, parum occulta forte causa est, unde fit, partes fluidiores in sanguine natantes, ad componendas urinam aptas, prae aliis visceribus, in locis superioribus, urinae vias petere, dum illae, eodem tempore, magis ad naturam subtilem devenientes, potius ad caput ascendere debent: Negari ver o non potest, quod hae etiam in fistularum ora uriniferarum aditum habent, si quacunque ex causa, huc forte determinantur. Hoc plerumque,

in

* Vid. Boerh. praelect. cap. de renum struct. et usu.

in mulieribus hypochondriacis, contingere videmus, quibus, copiam uſitatam maxime exſuperans, aquoſae ſubpallidaeque profluvium eſt urinae. Hic fluxus urinae ſolito copioſior apud nonnullos nomine Diabetis deſignari videtur : Hunc vero affectum potius ſymptomaticum, quam morbum originarium * appellandum judicamus : Pro cauſa enim agnoſcit, ut in praelectionibus phyſiologicis, obſervatum habet noſter eximius Profeſſor Dr WHYTT, actionem vaſorum renalium, a ſtimulo quodem, vel partium concenſu, plus nimio auctam. Confitendum vero ingenue eſt, quod haud raro in illa aucta ſimpliceque evacuatione, ſi ita fas loqui, haud parvum ſpirituum, qui animales dicuntur, diſpendium accedere conſuevit, quo inſenſibili quidem gradu, debilis, nec non et triſtis, evadit aeger miſerrimus †.

QUANDO igitur tanta corporis debilitas, vel languor functionum devenit, tanta vaſorum ineptitudo, a multis quidem cauſis praediſponentibus certiſſime pendens, ut ſecretiones naturales et ſuccorum bonorum ſegregationes, quibus nutritur corpus, et ſanitas conſervatur, parum rite conficiuntur : Tunc humores per vaſa circulantes, nec ordinem nec directionem, legibus hydraulicis conſtitutum, obſervant ;

* Princip. Med. Franc. Home, pars 4. ſect. 6.

† Hoc vero malum, ſaepe in praxi occurrendum, apud nos vernaculo nomine deſignatum, " Lowneſs of ſpirits" aptiſſime appellari ſolet.

vant; neque ab organorum ſecretoriorum actione, eam conformationis illarum particularum, quam ſemper exigent, diverſitatem habent; potius vero tenuiſſima et homogenea indole, (tunc etiam temporis aliqua forte inquinatione ſuſcepta) omnino gaudent. Porro hi liquores, ſiquidem in variis ſecretionibus perficiendis, debilitate ſumma in culpa, parum occupantur, innutiles corpori prorſus evadunt; quare, auſpiciis naturae, illum, quem caſus qualiſcunque fortuitus, ſed praecipue conſuetudo praebere ſolet, exitum poſtremo e corpore petunt.

Hic exitus via urinaria eſt, per quam ſemper humorum major eſt ſecretio, quam per ullum aliud organum ſecretorium, illis forte perſpirationi ſubſervientibus ſolum exceptis. Si hic vero inquiritur, quomodo fit ut humores adeo, ex judicio ſupra ſtabilito, corpori inutiles, non potius per ſpiracula cuticularia quam vias urinarias defluantur, praeſto forte eſt reſponſum; quia, eadem cauſa quae debilitatem ac langorem corporis inducere, vim quoque organorum perſpirationis propriorum ſimiliter diminuere valet; unde ſatis rationi congruens adparet, humores, qui maxime ſunt ex natura fluidi aut diſſoluti, propria gravitate impulſos, ad urinae vias quam alibi potius tendere, per quas, etiam dum ſanitas viget, etſi quantitate parciores, adferri ſolebant.

Ex

Ex dictis forte patet, quod non a ratione longe aberrant, quibus autumare arridet, Diabetem esse natura quasi conamen ad se a quo laedi potest liberandam. Hoc porro vere dici potest de quibusdam febribus et aliis denique nonnullis morbis. Si enim quovis tempore in diabeticis fluxus subito cessat, symptomata satis cito injuriam corpori adferentia superinduci solent.*

Hactenus morbum quodammodo, sine auctorum sententiis ad nostrum auxilium vocatis, leviter tractavi ; nunc vero, in hac re adeo occulta et perplexa, ad eorum authoritatem certe me conferam maxime oportet ; felicem ter et amplius me deputabo, si forte fortuna, ad ex tenebris educendum quid lucis inde splendeat.

Nullus fere occurrit morbus de quo opinionis diversitatem, sedis respectu, causae et methodi quam illa indicare videntur medendi, magis auctoribus amplecti arrisit quam iste jamjam tractandus : Etsi quam plures magnae equidem famae auctores, totis viribus, omnique ope a ratiocinio cadaverumque inspectione derivata, ejus naturam ac originem retexere nitebantur, nihilo secius tamen, adhuc forte omnia admodum incognita manent.

——— *causa latet, vis est notissima.*—— Hor.

Tramite

* Nullo modo certus sum ex sententiis supra obiter expositis, explicari posse Diabetem: Forte sub formula judicari nequeant.

Tramite ab illis jamdudum preſſo itaque derelicto, quî eheu! poteſt quiſlibet, duce carens, vagatione ſe liberum continere? Et eorum veſtigia ſequentem, vix forſan ulla ratione penes tyronem hodieque eſt, viam a veritate monſtratam adipiſci. Quid itaque agendum? Neſcio certe, ſi parum novae theoriae indulgere licet. Nihil verum a noſtro propoſito remotius. Sine experimentorum fulcimentis enim figmenta, ut ut pulcherrime diſpoſita, cerebro excudere, nihil aliud videtur ac ſi quis omnibus nervis a recta via homines illicere, vel per ambages circumducere, operam daret.

In tali rerum ſtatu itaque, quando nihil fere, quo minus mihi videar penſo Academiae legibus mandato decedere, praeter hoc ſolum ſupereſt, ut uno aſpectu auctorum de hoc morbo ſententias oſtendere conatus ſum; id pro viribus lubentiſſime aggredior, unde quadantenus fiet, ſi in quibus eorum repugnantia plurimum conſiſtit, retexere poſſum, ut via ad veram theoream aliis poſthaec perquirentibus minus obſcura forte evadat: Prius enim quam ad novas hypotheſes ſanciendas accingemur, nos quaſi defectus veterum exploratos habere oportet. Hic ſane primus eſt ad ſapientiam gradus, et hunc

itaque

itaque, haud quidem ſine ſummo errandi metu urgere nunc incipio.

CAPUT III.

AUCTORUM ANTIQUORUM DE DIABETE SENTENTIAE.

NONNULLI, et inter hos quidem GALENUS * Diabetem quandam hydropis ſpeciem eſſe volunt, qua vero ratione haud pro certo habeo; negari non poteſt, in ſingulis ingentem aquae creationem adeſſe; ſed hanc ſolummodo, inter ea ad ſimilitudinem rite conſtituendam, parum valere, ex ſequentibus forte patebit. Nemo ignorat, Diabetem in corpore etiam tunc temporis, quando nulla ad hydropem devexitas adeſſe cenſetur, exiſtere poſſe; ſcilicet a calculo, in quavis renum parte ſeu viarum urinariarum haerente; quum, actione vaſorum ſecretoriorum muſculari praeter naturam aucta, magis frequens et copioſior quam in ſtatu adhuc integro urinae ſecretio fit: Idem, ut antea notatum, in malo hyſterico, quando partium conſenſu admodum occulto, vis renum ſecretoria magnopere adaugetur, contingere ſolet.

HAUD

† De locis affectis, lib. 6. cap. 3. Charter.

Haud vero denegandum, ut nonnulli arbitrantur, hoc potius ad ſymptomaticum quam ad originarium attinere. Porro, ad hydropem faciendum ſemper forte neceſſe eſt, ut inter exhalentium et inhalentium vires ingens diſcrimen obtineat, quo fit humorum accumulatio, quod plus illa ſuccorum quaſi evaneſcentium exhalere quam haec caeteris paribus abſorbendo aſſumere valent ; ſed quod hoc etiam in Diabete contingit, nihil mihi praeſto eſt argumenti, quanquam aliis haud difficile ſit dictu. Praeterea, in qualiſcunque nominis hydrope, ſi ſatis inveterato, nunquam non accidere ſolet ut in jecinore aliquid vitii adeſt ; ſaepiſſime quidem ab hoc ſolummodo, ut obſervatum habent, hydrops ortum ducat, ſimul atque immedicabilis plerumque evadat ; quod unquam vero immediate ab illo originem habet Diabetes, merito forte dubitandum. Jecore enim vitio tentato, haud captu difficile eſt, quod in aliqua corporis cavitate aquarum accumulatio erit ; effuſionem vero ſupra modum per renum canales inde eventuram, nulla analogia, mihi ſaltem cognita, adhuc apparet, niſi alia certe cauſa in ea excitenda intercederet : Illa vero, qualiſcunque ſit, proxima eſt cauſa, nequaquam forte a jecinore male affecto pendens : quid hoc vero eſt in corpore humano peculiare, quod interdum potius ad renum canaliculos, quam ad membranam celluloſam aut aliam alibi partem, humores aquoſos, in ſyſtema-

te magis quam ſat eſt generatos, determinare pollet, admodum et cogitatu, et explicatu difficile eſt.

IDEM GALENUS, ad noſtrum morbum excitandum, id vitium renibus aſcribere vult, quo in lienteria primae viae afficiuntur, quibus tunc minus retinere, arripere verum ac tranſmittere celerius, contingit *; qua ratione autem ſtabilitur ea opinio parum certe mihi notum eſt. Lienteria frequens eſt alvi fluxus, ubi paululum ventriculi inteſtinorumque vi alimenta inveniuntur mutata. Pro cauſa organorum chylopoëticorum ſummam et debilitatem et relaxationem agnoſcit, cum inertia ſeu defectu ſuccorum, alimentis conficiendis quam maxime inſerventium. Vitium itaque in lienteria ventriculi inteſtinorumque laxitas vel impotentia eſt. Et haud intellectu difficile eſt, quod variae quidem cauſae, in haec viſcera immediate agendo, affectum iſtiuſmodi procreare pollent; nam illa corporis pars certe aliis interioribus citius ac crudelius afficiuntur. Quod vero ad renes attinet, longe aliter forte res ſe habet; quando enim illi male ſint affecti, alii ſyſtematis loci prius morbo laborent, oportet, id quod praecipue contingit, quando in humoribus eum inferens affectum, cauſa adeſſe cenſetur.

ILLUM quoque de hac re ſecuti ſunt TRALLIANUS, ÆTIUS †, NICOLAUS PISO, ‡ et omnes denique longo

* Vide loc. ſupr. cit.

† Vide Halleri diſputa. tom. 4. p. 35.

‡ Lib. 3. cap. 35.

longo ordine hujus in rebus medicinalibus magistri sequaces.

Alii autem, haud ignoti nominis, hunc morbum a fervida renum intemperie gigni contendunt ; quomodo verum talis conditio corporis universa, qualis in Diabete semper obtinet, ab intemperie hujusmodi oriri potest, vix fortasse observationibus liquet. Qualis enim est haec callida intemperies? Nunquid prava ab origine partium conformatio, unde aequalis per vasa humorum circulatio perturbatur? Estne mollis renum structurae quaedam irritatio, a calculo in pelve aut allis lapidosis concretionibus impertita? Estne porro uriniferorum canaliculorum obstructio vel fartura, quas semper affectio inflammatoria sequi solet ? vel denique, in fluidis parum in solidis latet arcanum, ab acidi salis seu acalini, ignota effervescentia aut nimis praevalentia?

Si ab his vero, et ad haec spectantibus, principium hujusmodi intemperies minime deducat, ubi tunc invenienda? Et licet ad omnia pertineret, vix, ac ne vix quidem, medicus, ut ut peritus, inde Diabetem explicare potest.

Irrequieta est humanae mentis solicitudo ad rerum occultarum principia causasque indeganda; neque vehementior, si rite versatur, aequuo potest esse.

Sed inde profecto, quoniam absque experimentorum adjumentis investigando plerumque occupatur, verae scientiae ingens jactura haud raro fit. Neque me ut molitorem haec prorsus agnoscit sententia,

tentia, fides enim ejus rei penes invenietur auctores; quanquam in illorum de ea judicium manibus pedibuſque diſceſſurus, ſemper enim uſu quotidiano comprobata forte eſt. Lapidum conflictu elici ignem videmus; et quo vi majore alliduntur, eo magis ſemper ſcintillae ſplendent: De noſtris verum thoreticis longe ſecus eſt; nam ut labor et opus ſeſe habent, ita obſcuritas ac implicatio. Et haud ſane aliter fiere poteſt, adeo ut eorum poſitiones nihil aliud quam cerebri figmenta, ingenioſe quidem ſed infeliciter diſpoſita, videntur. Sic hominibus ſemper exitus non injuriâ erit, quibus ſine rationis conſilio nec non et experimentorum copia, qua minus in ora bonarum literarum audent pertinaciter ire, nulla religio eſt.

INTER has, de morborum natura et cauſis, quae a veriſimilitudine magnopere recedunt, ſpeculationes, illae ad noſtrum malum ſpectantes, haud forte infimum tenent locum. Ex his vero figmentis, quandoquidem de aliis ſupra mentionem feci, perpauca ſat eſto hic loci commemorare, quod me remegio veloque, quantum in tractando poſſim, feſtinare oportet.

INTER haec autem, cujus praevalentia morbus eveniri ducitur, ſal quoddam in humoribus merito deputatur; quo efficitur, partes ſanguinis craſſiores, magis ad denſitatem ac coagulationem propenſas evadere; has autem naturae tenuiorae per proxima oſtiola

oſtiola et maxime patula neceſſario praelabi. Hoc verum procul dubio ſuum ſtigma ſecum fert ; et id quoque quod nunc in conſpectum ſeſe offert haud ei abſimile eſt : Referendo enim morbum, pro iſtius origine, ad ſpiritus quoſdam, ſine nomine et virtute, fermentatos, in ſanguine aliiſque humoribus interdum cohibitos, ad rem, adeo tenebrarum involucris tectam, perfecte explorandam nihil ſane omnino facit.

Undene hi in ſanguine ſpiritus fermentati derivantur dicunt ? Si per os vaſaque lactea; tunc profecto omnes, quibus bibendo ex largioribus poculis parere cupiditati arridet mos, in huncce morbum plus minuſve incedere oportet. Sed quod unquam ita res eſt, vel nuncubi in humoribus fermentationi quidquid ſimile adeſſe, perfecte ad redarguandum, haud forte tanti laboris ſit, quanti videatur. Hoc vero amplius urgere propoſito alienum foret ; praeterea de talibus ſat jam dictum eſt. De aliis auctorum opinionibus, quibus plus veriſimilitudinis accreſcere videtur, nunc animus eſt differere.

Contra illam callidam renum intemperiem, ſupra memoratam, humores fortiter attrahentem ; nonnulli potius facultatem hujus viſceris retentivam, in Diabete eſſe, debilitatam, arbitrantur, cum ardore viſcerum, praeſertim hepatis ac lienis. Nullis vero argumentis, ut opinor, probare facile poteſt, quod renibus ulla retinendi facultas ineſſe ſolet: Ren eſt organum ſecretorium, ad eligendas e ſanguine particulas,

culas, lotium compoſituras, effabre fabricatum ; ſed quod repoſitorium cavernoſum eſt, ad quendam humorem pro re nata continendum, haud dicere licet : Nam etſi cavitatem nomine pelvem renes habent, illa non ad retinendum, ſed potius locum ſatis amplum prebendum, in quo, multis oſculis patentibus, quidam tubuli, liquorem fluidiſſimum continuo ſtillantes, aperiri ſolent, deſtinatur. Illa itaque opinio nullis adminiculis nîti videtur ; et quod ad viſcerum ardorem pro cauſa adjutoria attinet, " hic non eſt " cauſa, ſed affectus morbi de quo agimus, qui ſitem " inexplebilem fere, et febrem lentam hacticam in- " ducit, unde viſcerum ardor."

SENTENTIAM ſupra exploratam fovit SENERTUS * aliique. Proximo loco verum hi ſunt, cum PLATERO †, qui a nonnullis febribus eum affectum in corpore relictum opinabantur, qui in humorum colliquatione conſiſtit, et inde Diabetem premovere queat. Sed etiamſi, certis temporibus et ſtatu rariſſime occurrente, hoc forte contingat, in genere tamen vix poteſt eſſe cauſa Diabetis, abſque ulla enim ad febrem devexitate, noſter hic morbus plerumque occurrit.

CAPUT

* Lib. 3. de infirm. ventr. affect. p. 832.

† Prax. med. tom. 3. p. 751.

CAPUT V.

AUCTORUM RECENTIORUM DE DIABETE SENTENTIAE.

ANTIQUORUM de Diabetis origine hae ſunt maxime opiniones; ſi vero ad recentiores nunc oculos convertere licet, non minus apud eos occurrit ſententiarum diſcordia. Inter hos autem WILLISIUS* pro cauſa contendit, cum rubris ac quaſi fibroſis particulis, ſanguinem conficientibus, ſeroſas parum rite miſturam ſubire; cui accedit etiam HENERICUS REGIUS† aliique. Hoc vero, a quo inferri ſolet Diabetes, cauſa peculiaris minus rite aeſtimatur, pro origine enim, magna ex parte, morborum praecipue chronicorum illud agnoſcere licet.

PROXIMO huic, THEODORUS ZWINGER tubolos lotium e papillis in pelvim effundentes, ex obſtructione ſeu compreſſione, paralyticos factos eſſe autumat, dum interim renibus, ad ſecretionem in finibus arteriolarum rite efficiendam, debitus vigor ineſt‡. Si tubuli vero Belliniani paralytici reddantur, et, ad ſecretionem in arteriolarum extremitatibus

* Pharmaceut. rational. ſect. 483.

† Lib. 2. cap. 13. p. 68.

‡ Theatr. Prax. med. ſub litera D. p. 332.

bus promovendam, vigor adeſſe agnoſcitur, ubi iſta obſtructio vel compreſſio, ad illum effectum in tubulis excitandum, exiſtere cenſetur? Si affectione paralytica arteriolarum fines vexantur, facile creditu equidem eſt, iſtos etiam tubulos conſenſu pati. Quamvis vero concedamus, paralyſe illos tentari, quid inde ſequi oportet? haud profecto inter eos et arteriolarum extremitates, quid urinae mutationis in tranſitu eveniret; namque lotium forte intime ac perfecte compoſitum eſſe debet, antiquam ad BELLINI tubulos perventum eſt. Hi tubuli nihil prorſus officii preſtare videntur, praeter quod, ab arteriolarum extremitatibus, fluorem ſub urinae ſpecie accipiunt, et deinde in pelvis cavitatem, per papillos guttatim aſſidue diſtillant.

SYDENHAMUS autem, omnibus aliis, in noſtro morbo inveſtigando, poſthabitis, cruditatem ſeri non ſuperatam cauſatur, egreſſum ſibi per urinae vias perquirentis, quod, illo viro egregio judice, facile obtinere poteſt, quando, a male tractatis intermittentibus ortus, ingens viſcerum languor adeſt*. In quibus vero conſiſtit iſta ſeri cruditas, nos minus ſane certiores facit. Praeterea, ob imbecillitatem ſi viſcera in culpa fuerint, potius forte, quam Diabetes, inde naſci debet diarrhaea, aliaque id genus. Neque porro, unumquemque uberriorem, poſt intermittentis

* Prax. med. p. 357.

termittentis ſingulos paroxyſmos, ſeu integra remiſſione ſuſcepta, reditum urinae craſſum ac ſubinde ſedimentum fundo deponentis, aeſtimari licet Diabetem; hunc, duntaxat per paululum temporis urgentem, pro critica evacuatione haberi oportet; maxime itaque a norma diſcedit qui illud malum originarium appellari vult.

Proximum auctorum ordinem accipit Listerus. Quod in Diabete renes praecipue afficiuntur ille minime conceſſum dat, potius pro cauſa vehementem ſtomachi ac inteſtinorum quaſi ardorem habet, quo fit, potus crude aſſumptos ſubito valde diureticos fieri, et tale ſpiritus vini, &c. inferre poſſe contendit *. Quid ſtatuere vult uſurpando vocabulum ardore? Si ſtomachi inteſtinorumque ardore iſtum effectum ab hauſtu ſpiritus vini productum intelligat, memoria tenere oportet, illud duntaxat fugitivum eſſe, et forte ad morbos gignendos vere diuturnos omnino impar. Praeterea parum forte adhuc confirmatur, ardorem, citra quod ſalus poſtulat, in quacunque corporis parte per aliquid temporis exiſtere poſſe, ubi nihil obſtructionis aut inflammationis adeſſe judicatur.

Inter eos quoque auctores qui de noſtra aegritudine ſententias exponunt, ſequentem tenere videtur Boerhaavius, quod Diabetes, ſolum urinae multo chyli repletae, crebra ac ſuperabundans eſt trajectio, cauſamque iſtius poſitam eſſe vult in ni-

* Exercit. Med. de Diabete.

mia arteriarum urinariarum flacciditate, ab humoribus admodum dilutis et aquosis proveniente*. Si arteriolae verum urinariae adeo relaxantur, ut per eos libere transitum chyli particulae habent, nullo argumento comprobari facile potest, quod rubri etiam sanguinis globuli egressum non adipiscantur: Praeterea, haud raro contingit, imo plerumque, quod urina Diabeticorum omnino tenuis ac limpida, speciem aquae prae se fert, ne vel minima lactis parte impregnata, etiamsi deinceps in vetustatem morbus incideret. Hoc omnibus facile patebit, ut nihil de eo fusius dicam, quibus, argumento videndi, hicce morbus satis innotescit, et cui nunquam aspicere occurrit, eum alte radices agentem, ille in hac re aequus parum judex est.

Huic in opinione succedit † Silvius de le Boe, qui pro causa habere videtur, sal quoddam volatile, globulorum sanguinis vel aliorum humorum crasis, dissolutionem intime faciens ‖. Sed quod tale adest in sanguine sal, neque ab illo confirmatur, neque unquam forte confirmari poterit.

Postremum itaque auctorem ad usque pervenimus, quem hic loci memoratum habere opus est; labor enim infinitus esset, omnes confertim enarratos

* Instit. Med. § 824.

† In nostro scilicet ordine, quoad tempus enim quando auctores inchoarent, forsan subinde secus est.

‖ Oper. tract. 5. de Cachexia.

narratos aducere; nec mihi videor navaſſe operam, mentionem fuſius de aliis faciendo. Hic auctor eſt JUNKERUS, cui opinio haec arridet, quod, ut fiat Diabetes, ingens excretoriorum motus vaſculorum turbatio fieri debet; quo fit, non ſerum duntaxat, verum lympha etiam, a liquefacta pinguedine derivata, ad ductus uriniferos magno impetu protrudantur *. Si talis vero enormis excretoriorum motus vaſculorum agitatio ſeu turbatio (ut ille habet) agere conceditur, neceſſe forte eſt, ut in auxilium aliquid prope renes ſtimuli revocamus, talem affectum iſtis in partibus efficere aptum, ſi de eo nobis confirmandi deſiderium eſt. Et ſimile quidem contingere cedamus, a calculo ipſis in renibus, vicinorum viſcerum ulceratione, vel inflammatione, ſpaſmo, inexplicabili affectionis hyſtericae ſympathia, aliiſque id genus; ſed quod haec ſaepe occurrere reperiantur, ex mortuorum diſſectione, ſeu fideli, in aegritudinis progreſſu, ſymptomatum judicio, haud mihi conſtat: Satis quidem compertum habemus, quod eruptiones inflammatoriae, a ſeri acrimonia ortum fortaſſe ducentes, interdum Diabetem comitantur; notandum vero volumus, ea potius morbi diuturnitatis conſequentia eſſe, quam ejus cauſae efficientes †.

Huc

* Conſpect. Med. tub. 100. § 4. cap. 3.

† Haud forte opus eſt hic loci memoratam habere quandam doctiſſimi Mead, de cauſa Diabetis, opinionem ſingularem, quam in jecinore poſitam eſſe vult.

Huc uſque, ut penes me erat, ſententias ſcriptorum, de hoc morbo, varias quidem ac inter ſe diſcrepantes, molli brachio percurri, et in earum ſingulis aliquid erroris leviter notatum habui; in eodem vero genere, in quo et ego offendo, alios forte reprehendere audeo; et praeterea, etiamſi cauſae ab illis allatae, magna ex parte, ad noſtrum morbum efficiendum, minus accommodatae videntur; haud tamen inficias ire queo, quod ſubinde etiam ſingulae earum huic aegritudini anſam dare pollent; ab hac verum vel ab illa, omnibus aliis ſine diſcrimine excluſis, naſci, id quod earundem fautoribus maxime arridet, nequaquam ſane concedendum puto *

His itaque ſententiis quodammodo excuſſis, reſtat proximo, ex quibus vere originem trahit Diabetes, enodare dem operam. Hic labor, hoc opus. Quando enim auctores, magna equidem famâ inter ſe

* Neque hic, neque alibi, quod vere dici poteſt, me ulla verborum acerbitate, in ſententiis auctorum redarguendis, vel morre ratiocinandi protervo uſum eſſe, haud mihi leviſſima ſpes eſt. Nihil ſane, ergo ſtudiorum magiſtros, licet etiam illis, ob naturae imbecillitatem, aliquid erroris haud immerito forte aſſignandum, magis dedecet tyrones, quam acies ſtyli arrogans: Nihil denique vitium ingrati animi adeo deſignat; praeſertim quando memoria tenetur, utpote notatu digniſſimum, quod, ſi forte fortuna quid nobis doctrinae ineſt, omne id admodum jure illis adjudicandum: Talis utique gerendi ratio nec ingenium nec animi magnitudinem oſtendit, ſed urbanitatis aeque ac prudentiae expers omnino habeatur.

ſe de hoc affectu minime conſentiunt, quî a me in rebus medicis quam par eſt minus heu experto expectandum, quod de illo vel dilucide vel congruenter differre poſſum? Magna quidem curâ, ac omnibus firme ſcriptoribus, quibus mihi inferre manum contigit, de hac re iterum ac ſaepius evolutis, animum ad hunc morbum rite explicandum adhibui; adhuc vero parum cum ſucceſſu. Neminem eorum attigiſſe veram illius naturam, etſi ſymptomata progreſſumque ſatis convenienter deſcripta reliquiſſe, mihi videtur. Hoc vero illis pro culpa minus inferre licet; magis forte evenit, quod mihi ingenii acies admodum hebet. Nihilominus verum, adeo rarus eſt affectus, ut illis eum accurate indagandi deerat copia: De cauſis autem remotis ac praediſponentibus, diagnoſi, ratione ſymptomatum, prognoſi et medendi methodo, ut apud eos fideliter ſatis traduntur, nunc animus eſt agere.

CAPUT VI.

DEFINITIO.

DIABETES urinae aquoſae, pallidae, ſubſuavis ac interdum caenoſae eſt profluvium, magis frequens copioſiuſque, cumſiti inſolita, quam in ſtatu integro. Hac definitione, ut ait BOERHAAVIUS, apte dici poteſt

poteſt, arterias emulgentes accurate earum nomine congruere; ea enim vaſa, ſub chyli vel potius ſeri larva, totum corpus nutrimenti quaſi emulgent.

CAPUT VII.

AB ALIIS DISCRIMEN.

Facile ab urinae incontinentia Diabetes diſtingui poſſit, in illa enim, abſque ſtudio voluntario aut vi reſpirationis; in hac vero, amborum conſenſu, emiſſio contingit: Illa denique, a fibris veſicae ſphincteris remiſſis vel paralyticis redditis, ortum ducere; haec autem ad univerſum corporis ſtatum forte vel fluidorum ſolidorumque temperiem, potius attinere videtur.

CAPUT VIII.

VERA A SPURIA.

In quibus autem vera a ſpuria differre ſolet, ex ſequentibus forte patebit. In ſpuria vel ſymptomatica non adeſt illa ſitis inſigniter urgens, cui vera ſpecies nunquam non conſociatur. In illa praeterea, non auctiore quantitate conſtanter prodit lotii fluxus, ſed tantum, ob viarum urinae obſtructionem, inſigniter accumulari ſolet, et deinde, ſi forte

forte fortuna ductus urinarii iterum relaxantur, ingente copia ſtatim magnoque impetu, irrumpitur *. His denique addere licet, quod in ſpuria non calor urens adeſt, et lumborum tenſio, cum dolore quodam per intervalla pungente, qui a coſtis ſpuriis, in vera, ad ſcapulas uſque haud raro extendere conſuevit †.

Noster vere eruditus Profeſſor Dr Whytt, ſermone mecum uſurpato, de hac re obſervatum habuit, ſe poſt aegritudinem naturae febrilis tarde convaleſcentem, fluxu urinae longe magis ſolito abundante, per aliquot ſeptimanas laboraſſe. "Hunc" recte notavit "Diabetis eſſe ſpeciem, ſed po-"tius tenuem ſive ſpuriam quam veram. Idem "in variis aliis aegris, a morbis longioribus con-"valeſcentibus, ſimile urinae profluvium obſerva-"vit."

Ad eandem finem etiam attinere videtur, quod memoratum in commentariis ſuis, habet nobiliſſimus Van Swieten. "Duplex ergo poſſit di-"ſtingui Diabetes; una per quam tenuis urinae in-"gens copia excernitur, potum aſſumptum aequans "vel et ſuperans: Altera, quae urinae quidem au-"ctam copiam habet, verum ſimul cum illa exeunt "craſſiora, ſive ex colliquatione partium corporis "nata, ſive ex chylo vel lacte, ex ingeſtis parato, "cum

* Hoff. cap. de Diabet. loc. cit.

† Albert Haller. diſput. tom. 4. de Diabet.

" cum ſanguine fluente, et una cum urina per rena-
" les fiſtulas elabente *."

CARDANUS, de ſuperiore Diabetis ſpecie agens, affirmat, ſe quadraginta annis inſolito tali urinae profluvio laboraſſe, ſine ulla vel ad contabeſcendum vel ſitiendum proclivitate, adeo copioſo, ut ſingulis diebus centum uncias emittere ſolitum eſſe. †

POSTERIOR autem ſpecies, ſimul cum urina ingens quidem chyloſi vel ſeroſi humoris copia, quo nutrimento orbatur corpus, et inde contabeſcit, irrumpitur; quamquam illa rarior, ſummum perfecto periculum habet.

" QUAMVIS autem naturaliter per fiſtulas rena-
" les chylus, vel lac cum ſanguine fluens, tran-
" ſire non videatur, tamen non adeo inſolitum eſt,
" in urina ſimile quid invenire, in ſanis etiam homi-
" nibus. Vidi aliquoties in me ipſo, aliquot poſt
" paſtum horis, et imprimis poſt validam deambu-
" lationem, largiori prius jentaculo ſumpto, uri-
" nam, quae turbida et lactea erat, ipſo momen-
" to dum emittebatur, et ſtatim album, et chylo ſi-
" millimum, ſedimentum deponebat. Poſtea et in
" aliis ſimilem urinam aliquoties obſervavi ‡."

HAEC obſervatio hujus illuſtriſſimi auctoris, eorum opinionem quodammodo comprobare videtur, qui, pro cauſa Diabetis, renum laxitatem cauſantur;

* Tom. II. §. 662.

† De vita propria cap. vi. tom. I. pag. v.

‡ Van Swieten comment. loc. cit.

ſantur ; a valido enim exercitio poſt paſtum praecipue, efficitur, ut ſanguinis motus valde excitetur, quo vaſorum capacitas amplificari debet; unde humores, qui adeo magnopere agitantur, canaliculos, haud illis naturaliter accommodatos, intrare valent ; multis praeterea ramentis, a vaſorum minimorum ſuperficie detritis, quo turbida devenit urina, et color quaſi lacteolus ei conciliatur : Quaecunque itaque cauſa, ad renum laxitatem continuo efficiendam, in corpore latet, talis in humorum circulatione turbatio, aut et error in ſegregatione, ſemper ſequi debet, qualis in diabeticorum urina craſſa, chylum referente, et ſolito auctiore, nunquam non contingere videmus. De his vero hic loci ſat dictum eſt ; alia tractanda ſeſe in conſpectum offerunt.

CAPUT IX.

CAUSAE REMOTAE.

Observationum ſcriptoribus credere conſentaneum eſt, quod viam huic morbo ſternere ſolent, medicamentorum diureticorum abuſus ; acidularum aquarum, praecipue frigida tempeſtate ; animi affectus nimii ; febres imperfecte ſolutae ardentes ; V. S. et catharticis male tractatae intermitten-

tes, praecipue in ſenibus; ulcera prava ſubito occluſa; morbus aliquis acutus, in renibus firmatus, ac ibi per criſin quaſi malignitatem ſuam deponens; menſium obſtructio; venenum aliquod deleterium, ex eorum genere quae veſicam et renes infeſtant, quale eſt quod a Dipſade * funditur; quibus forte addi licet, ſeri acrimonia et tenuitas †.

Hae cauſae etiam ſenſibus noſtris facile ſatis deprehendi poſſint; quod vero ad proëgumenas attinet internas, longe aliter forte res eſt: In hujuſmodi morbo uti in multis aliis, obſervari liquet, quod renum habitus ſingularis duntaxat efficere vix poſſit, niſi totius humorum ſyſtematis quaedam temperies cooperetur, quorum conſociatione, oblata tempeſtate, cauſa etiam proxima naſcitur.

CAPUT.

* Dipſas autem reptilis fera, ſi quem percuſſerit, ſitem non ferendam accendit; iſque copioſe bibit, neque ſiti medetur, ſed ventrem obruit humore. Aret. Capp. morb. diu. l. 2. c. 2.

† Nic. Piſo. lib. 3. cap. 33.
Hild. cent. 5. obſerv. 53.
Schenck. obſerv. med.
Liſter. exercit. med. de Diab.
Syden. prax. med. 357.
Joan. Philp. Metz. Diab. obſer. rar.
Home prin. med. pars 4. ſect. 7.
Aret. Capp. morb. diu. loc. cit.

CAPUT X.

DIAGNOSIS.

Quod ad ſigna concomitantia pertinet, qualia apud auctores recentiores confirmata reperiuntur, nunc recenſere in promptu eſt. Inter has vero notas intelligitur, potionem non longo poſt aſſumptionem tempore, nihil fere mutationis inducentem, immodica quantitate, per vias urinarias emitti; ſitem, nulla remiſſione efficientem, quam nihil fere quod hauriatur compeſcere valet; * potum magna etiam copia aſſumptum, quam quod meiendo prodire ſolet, parciorem; † ventrem aridum, caloreque quodam mordace efficientem; praecordia item gravia; teſtes, maximeque pedes, leviter intumeſcentes; os ſiccum, ſalivam ſpumoſam, albamque exhibentem; ſpiritum quaſi urentem; dolorem, neſcio quodque etiam prope coſtas ſpurias ſimile quadantenus tenſioni.

De potu nihil mutato per renes reddito, ſic in ſequentibus obſervatum habet Galenus; "Supra "modum

* Potus enim avide renibus attrahi videtur, priuſquam ſcilicet in ventriculo, ob ſummam iſtius organi imbecillitatem, coctionem ſatis ſuſceperit.

† Hoc modo totum corpus conſumi, liqueſcere, ac quaſi in aquam reſolvi incipit: Hac via etiam, non ſolum ſeri, ſed item humoris ſolidarum partium ſubtilioris exugere ſolet.

" modum ſitientibus infirmis, atque idcirco affa-
" tim bibentibus, celeriterque per urinam redden-
" tibus epotum tale, quale biberant *."

" At vero recte jam notavit LISTERUS, ARE-
" TAEUM, qui GALENO vetuſtior eſt, rectius
" hunc morbum deſcripſiſſe, neque in ejus hiſtoria
" hanc qualitatem urinae, aſſumptis reſpondentem
" referre †."

" QUANQUAM LISTERO non conceſſerim, nun-
" quam hujuſmodi urinam in hoc morbo prodire:
" Refert enim BARTHOLINUS, ſeipſum ex calculi
" tormentis, aliquando in Diabetem incidiſſe, vi-
" numque Rhenanum epotum per urinam rurſus
" reddidiſſe, ita ut pro vino ipſo, harum rerum
" ignoro, potuerit propinari. ‡ Si igitur omnes
" obſervationes examinemus, apparet certe, ad
" urinae inſigne profluvium‖, verum diabetis ca-
" racterem redigendum eſſe. ‡

CAPUT

* De loc. affect lib. 6. cap. 3. Charter.

† Cent. 1. obſerv. 63.

‡ Exercit med. Diab.

‖ Copia urinae tam ingens aliquando eſt, ut vix fide digna videtur, ſcilicet ſingulis diebus circiter libra ſex et triginta, vel, ut nonnullis placit, quadraginta, urinae excernuntur (*a*), vel denique aliis (*b*) quinquaginta, etſi ſingulis diebus, ex potu ac cibo, non plus ſeptem vel octo libris aſſumptis.

‡ Vid. Joan. Philp. Metz. obſ. rar. de Diab.

(*a*) Cardan. de variet. rer. lib. 8. cap. 44.

(*b*) Donenaeus obſerv. med. cap. 32.

CAPUT XI.

RATIO SYMPTOMATUM.

De ſymptomatum ratione nunc tractare conabimur. Fluxus urinae inſolitus, ac potus ingeſti copiam exſuperans ab alterutro ſequentium oriri debet; vel a viis urinariis ipſiſmet, magis quam par eſt, amplificatis; quo fit, ut liquores maxime tenues, minorum reſiſtentium ſolito occurrentes, nullo cum molimine tranſire valeant; et his libero curſu rapide tranſmiſſis, ad alios fluores, huc etiam properantes, in eiſdem ramulis, dum ſenſim ſenſimque apertiores fiant, late patet via: Sive a virium renalium nervis alicujus corporis partis, affectione morboſa tentatis, reſpondentium, vigore inſigniter aucto; vel quadam ſenſibilitate variis modis ſuſcepta hujuſmodi ſymptoma ortum habeat; quod in malo hyſterico liquide forte conſtat, cui ſolito copioſior, a concordia nervorum, aut motu vaſorum minimorum oſcillatorio, admodum aucto, urinae ſecretio fit: Vel denique, ad ſanguinis diſſolutionem, aliorumque humorum colliquationem, hujuſmodi urinae diluvium referendum eſſe, omnino veriſimile videtur. In hoc morbo enim, lotii effuſionem plerumque liquidorum ingeſtorum copiam maxime excedere, ſatis novimus; ſi vero ſanguinis diſſolutio cum

aliis

aliis forte cauſis, non cooperetur; unde ne id fieri poteſt? Nulla ratione quidem, ſi ab aëre circumfluente, per vaſa inhalentia, majorem aquae copiam, nunc quam in ſanitate, corpus accipere non ſolet. "Quemadmodum enim, ob inſolitam humorum "tenuorum excretionem per renes in Diabete, va-"ſa cutanea exhalantia parvam humoris perſpira-"bilis copiam eructant; ſic ob eandem rationem, "vaſa inhalantia ſolito longe avidius aëris humidi-"tatem arripient."

Ad pallidam ac inſipidam urinae, in hoc morbo naturam quod attinet, haud facile explicari poteſt. In ſano homine, ex aquoſa-terreſtri-ſalina-oleoſis partibus, urina conſtat; a ſale et oleo, ſaporem, odorem, coloremque induit; ſed in ea, majore copia caeteris, adeſt aqua: Ex nonnullis experimentis compertum eſt, quod urina, e papillis uriniferariis, in pelvem immediate diſtillans, nihil ſedimenti, nihil fere odoris habet: Porro, etiamſi agnoſcatur eam ſal acerrimum, oleum praeterea volatiliſſimum, et terram denique tenuem, ac valde attritam, continere; nihilo ſecius tamen, donec diu in veſica retinetur, principia haec conſtituentia adeo ſub aquae ſpecie larvantur, ſeu aquoſis particulis tam copioſe diluuntur, ut deprehendi vix queant: Haec lympha deinceps, quamvis inſipida prius, lenis, inodora, ac coloris fere expers, morae autem in viis urinariis diuturnitate,

tate, rubicundior, coctior, longe parcior, salsior, faetidior ac acrior fit ; in quibus remorans, partes ejus aquosas, per absorptionem magna ex parte amittit, quo fit, citra dubium quod caetera elementa remanentia, ad nostros sensus magis deprehensibilia evadunt. In nostro autem morbo, urinae secretio, et per omnes fere ductus urinarios, tam subito perficitur transitus, id quod a fistularum laxitate, ac humorum contentorum tenuitate pendit, ut tempus ipsum, quo fluidissimarum particularum absorptio fiat, deesse oportet. Praeterea, haud a verissimilitudine obsonum videtur, quod tali in casu etiam, vires absorbentium omnino languant vel minuantur, adeo ut, ad sua officia peragenda, ne vel minime valeant. Denique, quando in memoria tenetur, ex humoribus valde et diu attritis, ut et detersis solidorum partibus, oleum nasci, cum salibus, renixu vasorum muscolari similiter exaltatis ; manifestum forte erit, hac re paulo amplius examinata, si vis in tunicis vasorum remanens, quae, pressione propria in humores ac elasticitate, eorundem semper attritum, seu elaborationem efficit, unde oleum salesque, ut supra notare licuit, et ex his rursum color saporque urinae, generantur ; si haec itaque vis, impetu ac diuturnitate morbi, adeo debilis languidaque devenit, ut ad hujusmodi attritionem efficiendam, nihil omnino valet, per inductionem colligere facile potest, urinam

vere

vere insipidam, qualis in diabete exit, et vix colore praeditam, prodire oportere.

In hoc malo etiam, urina aliquando lacteum, sed raro, inducit colorem. Hoc a summa debilitate, et ad globulos sanguinis rubros conficiendos, totius vasorum systematis ineptitudine, contingere potest; quo fit ut chylus, male etiam ob vim organorum chylopoeorum valde diminutam, confectus, nullam fere admistionem renixu vasorum, vel denique, cum massa sanguinea assimilationem, subit; sed exinde, ad vias urinarias, nihil adhuc mutationis suscipiens, subito trajicitur; in qua etiam aliquid dulcedinis nunquam non percipi solet.

Ratio qua in diabeticis dulcessit urina, minime a difficultate remota est; praeterea, de hac re magna apud auctores sententiarum diversitas invenienda: Namque pro signo diabetis pathognomico, etsi haec dulcicula urinae indoles haud immerito omnibus habetur; quando verum de hujus phaenomini origine loquimur, plus minusve semper difficultatis in eo investigando, nobis obstat. Ad defectum salis, qui semper in aquosa bilis parte adesse oportet, recurrit doctissimus Mead, tum etiam notans, bilem, si non adest illud sal, aliquid dulcedinis suscipere. Apud Willisium * quoque, Keilium †, aliosque diversas, de hac re, quasdam opiniones

* Pharmaceut. rational. § 483.

† Tentam. med. phys. tentam. iv. pag. 121.

opiniones mihi contigit legiſſe, de quibus, ut amplius loquar, haud opus eſt. Sufficiat hic loci notatum habere, quod nullis experimentorum fulcimentis niti videantur.

Ad hanc rem aliquantenus enodandam, neceſſe forte eſt, recordetur, quod ille urinae ſapor ad dulcedinem accedens, tum ſolum, vel plerumque adſit, quando color quaſi lacteus * in eo diſcernitur. Ex obſervationum collectoribus conſtat, quod minimum eſt diſcriminis inter illum liquorem, ex alimentis confectum, et eum proprio nomine lac dictum: Porro, ex chymicis ſatis confirmatum habemus, quod ſal lactis eſſentiale, quodam proceſſu praecedente, neſcio quid praebere ſoleat, quod ex ſua indole parum a ſaccharo differt. His omnibus itaque conceſſis, haud explicatu difficile ſit, unde in diabeticis urinae ſapor dulciculus; praecipue ſi in hujuſmodi ſale vis chyli nutriens poni licet. In hoc autem morbo conceditur, corpus gradatim tabeſcere potius, quam ex alimentis nutrimentum capere; itaque ſequi oportet, id quod corpus fovere debeat, perpetuo latice ad glandulas renales, ibique ſaporem dulciculum urinae conciliantem, derivari.

* Quaſi lacteus; nam verus color lactis rariſſime, ſi unquam occurrit. Bis vidi veram diabetem, ſed urina aegrotorum ne vel minime albeſcente.

De ſitis origine, in hoc malo, ſic ſcribit Galenus, "At vero ingentis ſitis, citra diabetem, "cauſa eſt ventriculus, aut calida, aut ſicca, aut u- "traque intemperie affectus, maxime vero os ip- "ſius; proxime ventriculo hepar, ſed maxime pars "ejus ſima, ſimul cum ea exaeſtuantibus nimirum "meſenterio, &c." * Os ſiccus, ſaliva ſpumoſa, et ſitis, pro cauſa habent, ut videtur, ſanguinem fluidiſſima parte privatum, ex ingente per renes fluidorum diſpendio, quod vix incredibili hauſtorum numero compenſari poteſt. Sanguis noſter, ut prius notatum, prae aliis partibus eum componentibus, maxime ex aqua conſtat; ad liberam ejus per omnia quaecunque vaſa tranſmiſſionem, neceſſe eſt, illam in eo ſemper adeſſe; ſi verum iſta ſanguinis fluidiſſima pars, per quamvis auctam evacuationem, plus aequuo e corpore exeat, tunc temporis ſalivae, muci, aliorumque id genus, ſecretiones, pari ratione minui debent: Pro axiomate enim in oeconomia animali habetur, quod, quanto quaevis ſecretio auctior fiat, tanto, caeteris paribus, reliquae omnes diminutae evadant. Sic in diabete ingens liquidorum, tam excrementitiorum, quam nutrientium, per vias urinarias, ſubeſt evacuatio; qua ratione fit, quod varii corporis loci, ſuccis humectantibus, nec non et particulis ſubtiliſſimis, ad eorundem nutritionem aptis, ſpolien-

tur;

* De loc. affec. lib. 4. tom. 7. Charter.

tur; et inde porro, os, ventriculus, inteſtina, &c. ſicca aridaque fiant, et ex his denique pendens ſitis etiam moleſtiſſima. His forte addi licet, quod haud raro hunc morbum, acrimonia quaedam humorum comitetur, ad quam compeſcendam, aut diluendam, auſpiciis naturae providentis, ſemper ſitis excitatur: Praeterea haud inficias ire videntur, quod nonnunquam, ad abluenda, ſive detergenda, quoties viſcera abdominalia infeſtant, quaedam prava ulcera, a quibus interdum pendere noſtrum morbum agnoſcitur, conamen ſalutare ſitis eſt. Sed ſaepe, ad eum finem promovendum, ne vel minime proſunt ingentes etiam potuum hauſtus, quo plerumque fit ut morbus ad mortem uſque exacerbeſcere pergat.

Praecordiorum roſio, quae interdum hujus morbi comes eſt; dolor prope coſtas ſpurias; ſenſus in membris viſceribuſque ardoris; ſpirituſque quaſi urens* ; ad membranae communis, ventriculum, fauces, oeſophagum, &c. involventis, ſtatum quendam ſingularem, a ſiccitate pendentem, pertinere videntur: Dolor etiam ad coſtas ſpurias, nunc urgens,

* Hoc ſymptoma, haud apud auctores inveniendum, in noſocomio regali occurrit mihi, inter ſcribendum, opportunitas videndi; qui hodie hoſpitium ROBERTO BAILLIE diabetico praebet. Primum impetum diabetes in eum fecit, ſicut ille refert, abſque ulla alia cauſa ſibi cognita, poſt ingens ſuſceptum frigus, quod non autem inter cauſas diabetem inducentes recenſitum habetur.

urgens, deinde per intervalla ceſſans, pro origine ad eundem membranarum nervoſarum niſum tenſivum adſpicit; qui oriri quoque deprehenditur, quando menſtrui ſanguinis excretio praeter naturam aucta eſt; quo in caſu dolores ſaepe intolerabiles, ad os ſacrum et inguina, excitari ſolent †.

Lumborum, teſtium pedumque intumeſcentia, a ſolidis labefactatis, effici videtur. Hoc ſymptoma, inter hydropem noſtrumque morbum, parum diſcriminis intercedere docet; quod omnes ferme ſcriptores facile agnoſcunt, et eandem denique, atque in illo, explicationem habere volunt.

Ex hoc malo defunctorum inſpectione, nihil fere inſigne reperitur, non ſine ſpei noſtrae magna quidem fruſtratione: Certe enim tam graviſſimo malo quando extinctus eſt homo, nulla medicamentorum formula contra ejus impetum praevalente, haud parvam expectationem ſuſtinere ſolemus, cum ad diſſecandum detegitur cultellus, in renibus ipſis, vel alia denique vicina parte, alicujus vitii notabilis deprehendendi: Nihil veroplerumque minus.

In memoria autem teneri oportet, etiamſi, vita ad huc ſurperſtite, et dum vehementer morbus urgebat, viis urinariis, quam maxime relaxationem ac amplitudinem adeſſe; eandem vero, ſub mortis frigore vel integra affectus remiſſione, parum expectandam; quibus fit, ſiquidem nihil amplius diſtentionem ſeu amplitudinem

* Joan. Philp. Metz. obſer. rar. loco citato.

amplitudinem urgeat, magis anguſta et contracta evadunt vaſa.

VERUM etſi, in plurimorum hoc malo extinctorum, renibus vel alibi haud aliquid vitii ſe ad ſenſum notabile offert, ex paucorum tamen obſervationibus, conſtare videtur, renes cujuſdam Diabetici, aliquot annis eo malo laborantis, non quidem effoetos, ſed ſolito flaccidiores, nec rubri, verum potius cineritii coloris repertos eſſe *. Sic quoque ex Diatis ſpuriae cauſa, qua calculoſa concrementa vias urinarias obſtruxerant, in veram Diabetem incidit quidam comes, qui, alio morbo graviori defunctus, et poſtea ſecatus, ureterem dextrum inſigniter et farciminis inſtar expanſum, quin ejuſdem lateris renem, in molem duplo majorem elevatum, oſtendit; uti de noſtro morbo verba faciens, obſervatum habet FRANCISCUS HOFFMANNUS †. Sed rem minime confirmatam reliquerit ille literatiſſimus vir, utrum iſtius morbi gravioris, ſive Diabetis, phaenomena haec abnormia conſequentia eſſe.

PROGNOSIS.

Hoc malum chronicum itaque, ut ad prognoſin veniam, cum adhuc recens curari debet, utpote ſi in

* Pet. Pawi, obſerv. anatom.

† Conſult. med. tom. 2. § 3. caſ. 85.

in vetuſtatem incideret, aegre ſanatur; corpus, ut prius dictum, liqueſcere, atque marcore conſumi incipit *. In bibacibus, ac ſenibus, nunquam fere medelae auſcultat †. Aliquando in febribus ardentiſſimis accidit hic affectus, et tum quidem nulla arte ei medicus obvium ire poteſt. In multis medicorum opprobrium manet, propterea quod, magno cum negotio detegi queat; dum incipit, et ſenſim ſenſimque ad incrementum pergit, nulla adhuc mutatione corporis inducta, aegre deprehenditur; donec acmen tandem attigerit, et tragedias ſuas ſub larva ludere deſinerit; quo tempore facile percipi licet, adeo ut ex improviſo ſane induci videatur. Praeterea, quo plures oeconomiae functiones, in ſuis officiis rite peragendis, laeduntur, eo pejor ac infauſtior ſemper evadit; id quod in Diabete ſaepiſſime reperitur; morbo ſane, ex ſua indole, refractario, et qui ſubito aegrotum e medio tollere poteſt. Sed videtur, tabem plerumque tragediae finem impoſituram ‡.

His omnibus itaque, nam verborum multitudine ſuperſedeudum eſt, quodammodo peractis, nunc ut de medendi methodo pauca adjiciam ſolum reſtat.

CAPUT

* Lomm. med. obſer. lib. 3. de Diabet.

† Home Prin. Med. loco citato.

‡ Joan Philp. Metz. loco citato.

CAPUT XII.

METHODUS MEDENDI.

Non magis torquentur auctores inter se, dum toto coelo discrepant, ut nostri morbi causam, indolem, et signa quoque ab aliis discriminentia, uno sub aspectu exhibeant, quam in methodo medendi proponenda. In tanta itaque, de hac re, opinionum contrarietate, ut certam stabilemque sanandi formulam, quae ad universa hujus affectus stadia feliciter exhibeatur, instituere possim, haud jure expectandum est: Praeterea, omnes medicamentorum formulas, contra hunc morbum, a singulis auctoribus luculenter laudatas, ut certa ordine classibusque discretis ponam, et infinitae et inutilis esset operae. Sufficiat igitur hic loci, ea molli brachio praecurrere, quae, uno ore, volunt praecipuum tenere locum.

Si verus vel chronicus est morbus, indicationes curatoriae videntur esse, attemperationem succorum, sanguinis cohaesionem seu invigorationem, cum solidarum partium corroboratione, tentare *. Omnia haec perficiuntur, remediis temperantibus, refrigerantibus, corroborantibus, mucilaginosis, incrassantibus, et balsamicis. Inter haec sunt decocta ex althea, gelatina, lac coctum, ichtyocolla, gummi

* Joan Philip, Metz de Diabet. obser. rar. loco citato.

gummi Arabicum, oryza, piſces teſtacii, ſago, emulſiones ex amygdalis dulcibus, piſtaciis, et ſeminibus papaveris albi, tragacantha, et quae ſequuntur medicamenta.

CELSUS totis viribus contendit, quod aeger ab aquoſis diluentibuſque religioſiſſime, et ab omnibus denique quae urinae fluorem promovere valeant, abſtinere debeat*. Ad eandem opinionem accedit PAUL. EGINETUS, et magna equidem medicorum caterva†. Nonnullis, in aſtringentibus ſpem curationis ponere placet‡: A quibus vero multum diſſentiunt, WILLISIUS||, ARETAEUS** JUNKERUS‡‡.

ARETAEUS, in loco citato, ſic ſcribit, "Sin autem vel parum temporis a meiendo abſtinuerint, intumeſcunt lumbi, teſtes et ilia; quumque remiſerint, lotium quidem calefactione profundunt, tumidae vero partes detumeſcunt." Ad quam obſervationem corroborandam, verba JUNKERI, quae ſequuntur, addere licet, "Aſtringentia, ſi in Diabete, ad fluxum cohibendum, adhibeantur, viſcera vehementius conſtringunt, tumores lumborum, immo aſcitem et mortem accelerunt."||| Sed alii quidem, et forte non immerito, eorum ſententias parum fovere videntur.

NONNULLI

* Lib. 4. cap. 20.

† Eginetus de re medica, lib. 3. cap. 45.

‡ Shaw's practiſe of Phyſick, part. 1. pag. 25.

|| Pharmaceut. rational. § 4. cap. 3.

** De ſig. et cauſ. diuturn. morb. cap. 2.

‡‡ Conſpect. med. tab. 100. § 1. cap. 3.

||| Loco ſupra citato.

Nonnulli ad curationem perficiendam, balneum frigidum commendant, quod optimos quidem effectus praestare valet, quoniam vasa omnia, et humores ad dissolutionem propensos compingit *. Serum aluminosum, apud alios, pro specifico habetur. Opium praecipue, manu prudentis medici adhibitum, magni aestimatur, quod non solum ad perspirationem efficacissime augendam, sed ad omnes alias etiam secretiones minuendas, maxime conducat. Detur vinum, praecipue rubrum, ac modice dilutum, quod per intervalla considerate assumptum, sanguini quasi cohaerentiam vel crasin conciliat, et omnes denique humores optimos reddit. Non parvum emolumenti etiam ascribunt auctores succo malorum punicorum, astringentium; decocto myrtillorum, pyrorum, aliorumque id genus fructuum †.

" Talem morbum, per stomachica, et quae " humores praeparant ad salubrem perspirationem, " saepissime superavimus," ait Johannes De Gorter ‡ " Harris quoque, postquam impetu morbi, " macilentus, et pene strigosus devenit aeger, omni- " bus medicamentis incassum adhibitis, formulam se- " quentem, ab hujus sententia inductus, diarrhoea sit " quasi Diabetes alvi, Diabetes renum diarrhoea,

* Celsus, loco citato.

† Nic. Piso, loco saepe citato.

‡ De urina, cap. 16. § 9.

" tandem praeſcripſit. ℞. rhei el. inciſ. unc. ſs. ſantal.
" alb. citrin. ana drach. i. cardamom. min. drach. ſs.
" M. infundantur lento igni, in vaſ. clauſ. in vin.
" Canarin. opt. lib. i. Quis vero, ait auctor, hu-
" jus vini medicati fuerit effectus! non longo poſt
" tempore ex graviſſimo hoc morbo perfecte conva-
" luit aeger."*

In aqua cretacea, qualis eſt Briſtolenſis, et aqua calcis, cui ſimilis juxta Bathoniam, et in multis aliis denique locis, laudatur †, haud parvum fidei, ad eundem finem conſequendum, in libro ſuo de morborum, tam animi quam corporis, ſanatione, habet celeberrimus Cheyne. Potum quoque, cum cornu cervi ac gummi Arabici additamento, praeparatum; aqua hordeacea, et omnia id genus mucilaginoſorum, blandorum ac refrigerantium liquorum, qui opobalſamum ſanguini ut et adhaeſionem optime conciliant, illo ſpectabili viro magnopere laudantur: Diaeta etiam congenera, lac ex omnibus animalibus; carnes candidulae omnes, novellae molleſque; liquoribus eodem tempore fermentatis ex induſtria evitatis. Praeſcribit denique

* Obſer. de morb. al. grav. obſ. 2. de Diabet.

† Auctor certe minus caute hic loquitur, merito enim dubitari poſſit, quod unquam hujuſmodi aqua, abſque chymico proceſſu, occurrenda.

que electuarium, ex cinnabare, cortice Peruviano ſuccoque condenſato ſambuci confectum †.

His vero ſimilibuſque non ſolum nititur ſpes curationis, ſed, magna ex parte, ad regimen idoneum, vitae rationem, ac medicamenta dicta gymnaſtica, ſicut in permultis aliis chronicis, pertinet. Recte itaque notat Nic. Piso, "Quod animi affectus ſint "moderati, cibi praeterquam quod refrigerent, "ventrem leniant, et ad ipſum convertant fluorem "urinae, uti lactuca, portulaca, endivia, carnes "vervecis, gallinarum elixae, pedes porcorum et "leporum. Coctu enim difficiles, eligendi cibi, "non liquidi, ne in urinam convertantur, nempe "craſſi et boni ſucci et mordacitate carentes. De-"cet praeterea, abſtinere ab acribus ſalſiſque omni-"bus ‡." Denique, ad eundem finem attingendum, "empl. defenſivum lumbis applicatum, in uno ca-"ſu; et cingulum latum abdomini arcte circum-"ductum, in altero, valde proficuum expertus eſt "Dr Whytt."

Mihi

† Vid. the cure of the diſeaſes of the body and mind, p. 174.-5.
‡ Nic. Piſo. loc. cit.

MIHI fuit in animo, de quadam aegritudinis noſtrae hiſtoria (cujus, in hocce opuſculo, qualecunque ſit, componendo, ſuppetiis, haud mediocriter me obſtrictum refero) inter diſputationes eruditiſſimi HALLERI occurrenda; nec non et nova theoria, ex legibus mathematicis pendente, aliquid dicere.

Verum haec ipſe equidem, ſpatiis excluſus iniquis,
Praetereo, atque aliis poſt me memoranda relinquo.

VIRGIL.

RESTAT tantum, venia, ob hocce opuſculum inaugurale, adeo ordinis conſiliique expers, rurſus rogata, ut humaniſſimos Profeſſores, nec non et condiſcipulos aequuos, quibus hujus poteſtas ſumma condonandi datur, valere jubeam.

FINIS.

ERRATA,

Cura ſuumé ſolicita haud obſtante, quaedam ſunt in pagillis praecedentibus, nimis raptim peractis, corrigenda, quorum nonnulla tabulo appoſito recenſentur.

Pagᵉ 11. *pro* urina *lege* urinae.
17. *pro* abſtinueret *lege* abſtineret.
18. *pro* hunc vel illud *lege* hanc vel illam.
21. *pro* exigent *lege* exigunt.
ib. *pro* innutiles *lege* inutiles.
23. *pro* poſſum *lege* poſſim.
35. *pro* debet *lege* debeat.
ib. *pro* affectum *lege* effectum.
43. *pro* exugere *lege* exugi.
44. *pro* placit *lege* placet.
45. *pro* minorum *lege* minori
ib. *pro* reſiſtentium *lege* reſiſtentiae.